



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Exerc. 1. Christus D. Judex placandus Oratione crebrâ, humili.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

## EXERCITIORUM

## PARS IX.

Erga Christum Judicem  
omnium.

## EXERCITIUM I.

*Christus D. Judex, placandus oratione  
crebra humili.*

*Act. 10. 42.* 1. **C**hristus constitutus est Judex vivorum, & mortuorum: cui omnes Propheta testimonium perhibent.

*2. Cor. 5. 10.* 2. Oportet ergo te manifestari ante tribunal ejus: ut recipias prout gessisti in corpore sive bonum sive malum.

*Job. 9. 3.* 3. Huc judici DEO, neque tu, neque ullus respondere poterit unum pro mille sibi ab eo obiciendis: neque ullo modo in conspectu ejus, & apud Regulam æquitatis ejus, justificandis.

*Job. 4. 18.* 4. Dicit ille quidem Homini: Stemus simul ut judicemur: narra si quid habes, ut justificeris: cæterum frustra est cum illo iudicio contendere, qui etiam justitias judicat: qui in Angelis etiam reperit pravitatem, coram quo neque

*Is. 64. 6.* 5. stelle munde sunt: & omnes justitiæ nostræ tanquam pannus menstruatae.

6. Quid ergo faciet homo in peccatis conceptus, & natus, & adultus totus, inveteratusque in suâ iniquitate, in cujus vitâ neque momentum reperias innoxium.

6. Quod

6. Quod fecit Sanctus Job. Cujus illa est confessio: *DEUS* cuius ira nemo potest residere, *Job. 9. 2.* & sub quo curvantur qui portant orbem: quantus ergo sum ego; ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? qui, etiam si habuero aliquid justum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor. Et, si impius fuero, vae mihi est: & si justus, non levabo caput, saturatus afflictatione, & miseriâ.

7. Hoc faciendum quod fecit & David, cujusest illa oratio: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me. Domine non intres in iudicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. 37. 2.*

8. Hoc factitatum à tantis Sanctis, atque factitandum esse à nobis peccatoribus, mirabitur nemo; quicumque cogitaverit, quòd horrendum sit incidere in manus Dei viventis, & iudicantis: quòd stare ante iudicem Deum, eique manifestari, ac reddere rationem omnium, singulorumque vitæ actæ momentorum, usque ad facta, usque ad dicta, usque ad cogitata otiosa, usque etiam ad omissiones bonorum, usque ad imperfectiones rectè factorum, usque ad occasionem & inspirationes bene agendorum, nec actorum, sit humanæ virtuti prorsus intolerabile: sed oporteat Divinâ vi roborari naturam infirmam, ne magnitudine fortitudinis extabescat.

9. Vultum certè iudicaturi Christi usque adeo Job pertimescebat videre, ut præligeret in inferno potius demergi, neque extra illum comparere, donec iudicantis furor Dei pertransiret: eamque demersionem, adeo licet horribilem, protectionem sui censeret.

10. Consuesce ergo Anima mea quotidie, imò

270 *Exerc. II. Christus D. Judex placandus muneribus.*  
imò quantum fas est, assidue, deprecari judicem  
tuum: & mitigare furorem vultus ejus, preci-  
bus, reverentiâ, timore, humilitate, sedulitate,  
obsecrationum, & obtestationum instantia ple-  
nissimis.

### P R A X I S.

**D**omine Jesu Christe, Fili Dei vivi: pone Passio-  
nem, crucem, mortem tuam, inter judicium  
tuum: & Animam meam nunc, & in hora mortis  
meae; & mihi largiri digneris gratiam & misericor-  
diam, vivis & defunctis requiem & veniam: Ec-  
clesiae tuae pacem & concordiam: nobis peccatoribus  
Vitam & gloriam sempiternam. Qui vivis, &  
regnas, &c.

## EXERCITIUM II.

*Christus D. Judex placandus muneribus.*

*Act. 10, 42.* 1. **C**hristus constitutus est **JUDEX** vivorum, &  
mortuorum: cui omnes Prophetae testimo-  
nium perhibent.

2. Hic cum ad judicandum sive in Vita tua,  
sive in mundi totius fine advenerit, placandi sui  
nullum tempus, nullum spatium, nullum mo-  
dum dabit.

3. Nunc ergo dum hujus tam Vitæ, quam  
Mundi tempus decurrit, placandi illius, & con-  
siliium ineundum, & studium exercendum est.

*Gen. 32, 20.* 4. Jacob Patriarcha, occursurum sibi fratrem  
Esau offensum & armatum, formidans: hoc  
consilium suscepit; *Placabo illum muneribus, quae  
precedunt: & postea videbo illum.* Major natu-  
frater noster Christus, idemque Judex omnium,  
occur-